

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1875

**Auteur(s) :** Innocent IV [pape]

**Bénéficiaire(s) :** Sées, Saint-Martin (abbaye)

**Genre d'acte :** bulle

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1248, 11 avril

**Lieu d'émission :** Lyon

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Le pape Innocent IV confirme les biens de l'abbaye Saint-Martin de Sées.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Sagiensis, n° XVI, col. 170-173.

## Dissertation critique

Pâques tombe le 19 avril en 1248 et 4 avril en 1249.

Texte établi d'après a

Johannes, Dei gratia, Sagiensis episcopus, omnibus hæc visuris, salutem in Domino. Noverit universitas vestra nos literas summi pontificis domini Innocentii papæ quarti cum veris bulla et filo de serico, non cancellatas, non abolitas, non rasas, nec in aliqua sua parte vitiatas, vidisse, tenuisse, palpasse, inspexisse sanas et integras prorsus omni vitio et suspicionem carentes, easque de verbo ab verbum legisse, formam quæ sequitur continentes : Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis in Christo, abbati monasterii S. Martini Sagiens. ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, salutem et apostolicam benedictionem. Quotiens a nobis petitur quod religioni et honestati convenire dignoscitur, prompto animo nos decet concedere, et petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et monasterium sancti Martini Sagiensis, in quo divino mancipati estis obsequio, adinstar felicitis recordationis Lucii papæ prædecessoris nostri, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: locum vestrum in quo præfatum monasterium situm est, cum burgo ejus et aliis pertinentiis, ecclesiam S. Mariæ de Platea cum oblationibus et decimis, primitiis et obventionibus ; ecclesiam sancti Petri de Castello, ecclesiam sancti Germani de Foro, tertiam partem ecclesiæ sancti Audoëni et totius decimæ, ecclesiam de Condeto, ecclesiam sancti Petri de Capella, ecclesiam sanctæ Mariæ de Bellonio

cum pertinentiis suis, ecclesiam sanctæ Mariæ de Villenas cum pertinentiis suis, ecclesiam sancti Hilarii de Samaleyo, ecclesiam sancti Petri de Congey, ecclesiam sancti Germani de Ceriseio, ecclesiam sancti Sulpitii de Valle-Framberti cum pertinentibus eidem ecclesiis, capellam sancti Euscicii cum terris et pertinentiis suis, decimas quas habetis in parochia de Davigneio, duas partes decimæ in ecclesia sancti Cyriaci de Longreio, ecclesiam sancti Nicolai de Nemore, ecclesiam S. Andreae de Liveia, ecclesiam de Rupetroso cum pertinentibus eidem ecclesiis, ecclesiam sancti Nicolai de Boca, ecclesiam S. Petri de Bota, cum omnibus pertinentiis earum, ecclesiam S. Dionysii cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam S. Mariæ de Ferrercia, ecclesiam S. Mariæ de Mulceio, ecclesiam S. Martini de Condeio, ecclesiam sancti Petri de Montesoro, ecclesiam sancti Germani de Berus, ecclesiam sancti Paterni de Osceio cum omnibus pertinentibus eidem ecclesiis, ecclesiam sanctorum Gervasii et Prothasii de Ligneris, ecclesiam sancti Andreae de Chevaio, ecclesiam sancti Joannis de sancto Paulo, ecclesiam sanctorum Petri et Pauli de sancto Paulo, ecclesiam S. Audoëni de Villiers, ecclesiam sanctæ Margaritæ de Bellovidere, ecclesiam sancti Stephani de Novo castello cum capella sancti Maurilii, ecclesiam sanctæ Mariæ de Valle, cum omnibus pertinentibus tam sibi quam præscriptis ecclesiis, ecclesiam sancti Martini de Ceriseio, ecclesiam sanctæ Crucis de Tutella cum ecclesiis et omnibus pertinentibus ad eam, ecclesiam S. Fructuosi de Terracona cum pertinentiis suis, ecclesiam sancti Georgii de Digniaco cum pertinentiis suis, ecclesiam sancti Germani de Digniaco, ecclesiam de Profunda valle, ecclesiam S. Medardi, ecclesiam S. Egidii de monte Gaudry cum pertinentiis earum, duas partes decimæ de Betronio, ecclesiam sancti Leodegarii cum oblationibus et omnibus ad eam pertinentibus, ecclesiam sanctæ Mariæ de Marcedonibus, capellam S. Mariæ de Bouvêches, ecclesiam sanctæ Eulaliæ de Alnoto, ecclesiam sancti Petri de Ferreria, capellam sancti Petri de Gasto cum terris et pratis et omnibus pertinentiis suis, ecclesiam sancti Joannis de Mesnigault cum nemore, terris et pratis ; ecclesiam de Clairio cum pertinentiis suis, ecclesiam sancti Martini de Montmerrio, capellam sancti Euvrucii cum terris et hominibus et pertinentiis suis, ecclesiam de Bonaio, dimidiam ecclesiam de Juvigneio, decimam quamdam in parochia de Cneio, ecclesiam S. Mariæ de Vrou et capellam de Cremnis, ecclesiam sanctæ Mariæ Broicarum cum tota villa et omnibus pertinentiis suis, ecclesiam sancti Claudii de Merreio, ecclesiam de Poteria ; ecclesiam sancti Mauricii de Logis cum terris et omnibus ad eam pertinentibus, ecclesiam de Montigniaco, ecclesiam sancti Sulpicii de Serancz, ecclesiam sancti Padulphi de Beureria, et capellam S. Germani de Beureria, cum terris et molendino, et omnibus pertinentiis suis ; capellam et terram de Meldescolis, ecclesiam sancti Nicolai de Arundello cum capella S. Mariæ, et præbendis et omnibus pertinentiis suis ; capellam sanctæ Crucis in parochia sancti Nicolai, ecclesiam sanctæ Mariæ de Hantona cum tota villa et omnibus pertinentiis suis, ecclesiam sanctæ Mariæ de Guta cum tota villa et omnibus pertinentiis suis, ecclesiam sanctæ Mariæ de Beredefort, manerium de Arnitonia, manerium de Trutitonia, manerium de Fisebona cum pertinentiis suis, ecclesiam sancti Joannis de Visgata, ecclesiam de Relingy cum decima et pertinentiis suis, ecclesiam de Garinges, ecclesiam sancti Joannis de Hingalis cum terris, decimis et omnibus pertinentiis suis, ecclesiam sanctæ Mariæ de Berelesero, ecclesiam sancti Martini de Mesleio, ecclesiam de Nivesnelle, ecclesiam de Baselle, ecclesiam de Galingonie cum omnibus pertinentiis earum, ecclesiam sanctæ Mariæ de Lancastria cum decimis et ecclesiis, et omnibus pertinentiis suis ; ecclesiam sancti Nicolai de Pembroc cum decimis, ecclesiis et omnibus pertinentiis suis. Liceat quoque vobis clericos vel laicos a seculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit absque abbatis sui licentia ab eodem monasterio, nisi arctioris religionis obtentu discedere ; discedentem vero absque communium literarum cautione, nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis suppressa voce divina officia celebrare. In parochialibus autem ecclesiis quas habetis, liceat vobis rectores eligere, et diocæsano episcopo præsentare, quibus si idonei fuerint episcopus animarum curam committat, ut ei de spiritualibus, vobis autem de temporalibus, debeant respondere. Interdicimus autem ne quis in vos et monasterium vestrum interdicti, aut suspensionis, seu excommunicationis sententiam, sine manifesta et rationabili causa promulgare præsumat. Præterea novas indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, seu decanis aliisque ecclesiasticis personis omnino fieri prohibemus. Prohibemus insuper ut infra fines parochiæ vestræ, nullus sine assensu diocæsani episcopi et vestro, capellam seu oratorium de novo construere audeat, salvo privilegio Romanæ ecclesiæ. Ad hæc libertates et immunitates a regibus et principibus, et maxime a Rogerio comite monasterii vestri fundatore, et ab aliis personis tam ecclesiasticis quam mundanis eidem monasterio indultæ, antiquæ et rationabiles consuetudines integræ et illibatæ maneant, præsentis decreto fundatoris. Obeunte te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi assensu vel fratrum major pars consilii sanioris secundum Dei timorem et B. Benedicti regulam providerint eligendum.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas sit præfatum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare ; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Lugduni per manum magistri Mauricii sanctæ Romanæ ecclesiæ vicecancellarii, tertio idus Aprilis, indictione sexta, Incarnationis Dominicæ anno M.º CCº XLVIII, pontificatus vero domni Innocentii papæ IV anno quinto. Datum et auct. . . . . hujusmodi transcripti anno Domini millesimo CC. LXXXIII die Martis post Nativitatem beatæ Mariæ virginis. In fidem et testimonium præmissorum sigillum nostrum præsentibus literis est appensum.